



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>


892.78

H55

B3

A

877,693



402.
455
83

7

IN
HERMETIS TRISMEGISTI

QVI APVD ARABES FERTVR
DE CASTIGATIONE ANIMAE LIBELLVM
PROLEGOMENA VNA CVM CAPITIBVS NONNVLLIS
NONDVM EDITIS.

DISSERTATIO

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ALMA LITERARVM VNIVERSITATE
FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIIS

DIE XVIII MENSIS MARTII A. MDCCCLXXIII HORA XI

PVBlice DEFENDET

O. BARDENHEWER

BONNENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

IOSEPHVS FELTEN STVD. THEOL. CATH.
ARNOLDVS LVETZENKIRCHEN STVD. LIT. ORIENT.
PAVLVS PIES STVD. THEOL. CATH.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

892.78
H55
B3

40

Druck
Hilf
3-11-17
14567

Libellus in quo edendo, vertendo, illustrando opusculum versatur priore eaque multo minore ex parte nuper in lucem prodiit, altera ex parte adhuc in codicum manu scriptorum tenebris latuit. Iam I. I. Reiske a. 1736 industriam in eo collocavit et priorem eius partem e codice bibliothecae senatoriae civitatis Lipsiensis — inter codd. arab., pers., turc. n. 297. (29.) fol. 73^v—155^r; apud Naumannium Cat. librorum mss. qui in bibl. senat. civ. Lips. asservantur. p. 535 — in Latinum vertit, quae versio foras data non est, sed in eiusdem bibliothecae scriniis remansit¹. Deinde vero V. Ill. FLEISCHER eundem codicem Germanice reddidit: *Hermes Trismegistus an die menschliche Seele* in Illgenii *Zeitschrift für die historische Theologie*. Bd. 10. (Lpz. 1840.) p. 87—117, triginta autem annis post collatione codicis Vaticani — inter codd. arab. n. 182. (153.) fol. 104—132; apud Assemanium Bibl. orient. Clement.-Vatic. III, 1. p. 283 n. 25 — qui eandem quam Lipsiensis libelli partem exhibet adiutus verba (eius partis) arabica typis mandanda curavit eisque interpretationem suam subiunxit novis curis retractatam: *Hermes Trismegistus an die menschliche Seele. Arabisch und deutsch herausgegeben von Prof. Dr. H. L. Fleischer. Leipzig 1870*. Qui libellus quum in universum talis sit qualem esse eum ex ipso scriptoris nomine coniecero, sane est cur mireris, me denuo idem opus aggredi ausum esse. Attamen facile excuser utpote qui, postquam primum reliquae tantummodo opusculi parti a Fleischero non tactae lucem afferre in animo fuit, tum demum consilium mutaverim quum novorum codicum ope adiutus Fleischeri aut lectionem aut interpretationem nonnullis locis mutare posse mihi visus sum simulque ea quae ad argumentum libri illustrandum collegeram sine ipsis scriptoris verbis exhiberi non posse intellexi. Ceterum aliud quid

¹ Plura de Reiskii curis exhibet Ill. Fleischer in prooemio scriptorum illico laudandorum.

II

non peto quam ut qui id quod tanti viri inchoarunt perficere conatus sim non prorsus indignus esse videar.

Priusquam librum ipsum aggredior, de codicibus manu scriptis quibus servatus est pauca praemittenda sunt.

Exordiar a duobus illis codicibus modo iam commemoratis: Romano et Lipsiensi. Quorum ille a librario originem duxit qui in exemplari describendo acrem quidem posuit curam, at propter inscientiam varia commisit menda. His autem mendis, si accuratius perpenduntur, demonstrari videtur exemplar illud cuficis exaratum fuisse literis¹, eamque ob rem in vetustissimorum codicum numerum referendum esse. In altera parte capituli sexti (§. 8) post vocabulum quod est والمبصرات, ab eis qui totum librum continent codicibus recedens, codex pergit فتذكري, exinde vero ex abrupto desinit ita ut quaedam intercidisse pateat².

Codex Lipsiensis ab antiquario profectus est qui et ipse in exemplo conficiendo magnam adhibuit diligentiam, minori usus est linguae arabicae scientia. Hunc quoque codicem partem tantummodo libri praebere modo iam dixi; eodem enim cum cod. Romano loco a ceteris exemplis deflectit, exinde vero iustum finem libro imponit qui in ceteris codicibus nusquam invenitur³. Ill. Fleischer l. l. p. V laudatos codices propter miram eorum inter sese convenientiam proxima iunctos esse censet cognitione. Cui sententiae prorsus assentior; sic autem quaestionem disso-

¹ Saepissime enim puncta quae vocantur diacritica praetermittuntur neque in vocabulis vulgaribus, immo in vocibus rarioribus formisque difficilioribus. Qua ex re elucere videtur, librarium in legendo exemplari dubium ac suspensum haesisse eamque ob rem qua fuit severitate puncta diacritica omittere maluisse quam perperam ponere. Aguntur autem eae literae quae in scriptura cufica inter sese non distinguuntur. Deinde vero falsae lectiones occurrunt quae quomodo irreperere potuerint e solo exemplari cufico intelligitur, veluti جوده pro حركة. Alia sane quibus codex maculatus est menda non possunt quin iam in exemplari ex quo fluxit existitisse existimentur.

² Quae primitus secuta fuerint illico e codice Lipsiensi intelliges.

³ v. Fleischerum l. l. p. 34, l. 4 sqq. quam quidem clausulam eandem esse atque eam quae in cod. Rom. (ultimo folio, ut videtur, pessum dato) desideratur, eo efficitur, quod primum a quo incipit vocabulum

(فتذكري) etiamnum in cod. Rom. exstat.

III

lutam velim, ut exemplum Lipsiense ex ipso exemplo Romano transscriptum esse statuatur¹.

Praeter codices Romanum et Lipsiensem in bibliothecis europaeis quantum scio quinque exstant libri nostri exempla. Duo et ipsa mutila sunt, quorum alterum in bibliotheca universitatis Upsaliensis — inter codd. arab., pers., turc. n. 489. fol. 76^v sqq. — asservatur, alterum in bibliotheca academica Bonnensi invenitur, in quam illatum est ex legato Scholzii, professoris olim in hac universitate meritissimi, qui librum ex itinere orientali advexit.

Atque illud quidem solis fragmentis constat. *Et quattuordecim capitibus* ut ait Tornberg Codd. arab., pers., turc. bibl. univers. Upsal. Ups. 1849. p. 312 *duo modo prima, pars prima tertii et ultima sexti, septimum, octavum, nonum et pars decimi adsunt*. Plura quam quae catalogus exhibet de codice non comperi.

Hoc plura praebet idemque semper praesto mihi fuit. De eo verbum fecit V. Ill. GILDEMEISTER in annal. *Zeitschr. der D. M. G.* XXIV. p. 706—707, quare pauca addidisse satis habeo. Signa vocalium et geminationis rarissime addita, puncta diacritica raro quidem omissa, at saepe inepte adhibita sunt. Denique exaratus est codex non a viro docto, sed a mercenario qui ea quae transscribenda erant neque satis intellexit et negligentius transtulit, ita ut omnibus vitiis scateat. Fluxisse autem videtur ex exemplari syriacis literis expresso².

¹ Sane quidem in eiusmodi quaestionibus coniecturis campus patet amplissimus neque ulla opinio ab omnibus dubitationibus facile vindicari potest. Ita autem ut dixi eis potissimum locis quibus codices inter se discrepant res disceptari videtur, quippe quibus, ni fallor, in promptu sit librarium codicis Lipsiensis prorsus e scriptionibus codicis Romani pendere. Etenim ibi tantummodo rectum tenet ubi quid rectum sit lectione codicis Romani et orationis contextu extra dubium positum est, veluti pro *وختبر حاله* in cod. Rom. ipse exhibet *وختبر حاله* praecedente *لنعلمه*; plerumque autem eam scriptionem restituit quam librarius codicis Romani intendere vel commendare videtur quamvis in vitio sit, veluti bis in cod. Rom. *التاني* invenitur pro *التاني*, in cod. Lips. utrobique *التاني*.

² Eae enim literae quae syriace una et eadem litera reddi solent saepissime inter sese confunduntur veluti *ص* ponitur pro *ط* et *ظ*, *ك* pro *خ*, non solum *ث* pro *د*, *ث* pro *ذ*, sed etiam *ث* pro *ن*, *ن* pro *ف*; adde quod iterum atque iterum *ب* invenitur pro *ف*.

IV

Accedunt tres codices qui totum librum exhibent.

Primus Oxoniae exstat in bibliotheca Bodleiana inter codd. Hunt. n. 589. fol. 50—169 — Bibl. Bodl. codd. mss. orient. cat. I. codd. syr. p. 15 n. 75, 2 —. Est codex syriacis literis exaratus¹ qui quum initio et fine careat neque librarii nomen affert neque anni notam gerit. Et praefationis a nescio quo antiquario libro praemissae et ultimae partis capituli 14. (§. 14—15), Ill. Gildemeistero comissime intercedente, collatio praesto mihi fuit, a Cl. Etneo maxima cum humanitate confecta, secundum quam altero loco codex cum cod. Bonnensi adeo consentit, ut arctiore quadam cum eo coniunctus esse videatur necessitudine; quod quidem cum coniectura modo de cod. Bonnensis origine proposita mirum quantum convenit.

Alter invenitur Parisiis in bibliotheca quae vocatur *bibliothèque nationale* „ms. du suppl. ar.“ n. 93. fol. 142—203^v². *Le ms.* — scribit Cl. Zotenberg qui a Gildemeistero rogatus summa comitate et brevem codicis descriptionem et nonnullorum locorum collationem transmisit — *paraît être du XV^e. siècle; quelques ff. au commencement et au milieu du volume et le dernier ouvrage tout entier* (اخبار سكندس الكبير), *à partir du fol. 217., sont plus modernes.* Si ex paucis atque angustis speciminibus totius libri coniecturam capere licet, codex satis accurate atque emendate scriptus esse videtur.

Tertius denique asservatur in bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae inter codd. Warn. n. 1148. fol. 71^v—97^r³, quem quidem codicem ut sat diu commode et libere in usum meum conferrem, intercedente summo magistratu regio DE GOEJE, clarissimus legati Warneriani interpres, qua est liberalitate gratiis et laudibus dignissima concessit. Exaratus est festinantius, manu expedita, literis minutioribus in universum satis perspi-

¹ Transcriptum autem eum esse e codice arabicis literis expresso falsae lectiones testantur quae ex exemplari carshunico exoriri vix poterunt, veluti *تميم* pro *ينمي* *مقتريا* pro *مقتديا*, alia.

² Mentionem facit codicis B. de Montfaucon Bibliotheca bibliothecarum manuscriptorum nova. Par. 1739. II. p. 1042 e. in enumerandis libris manu scriptis bibliothecae monasterii S. Germani a Pratis.

³ Cat. codd. orient. bibl. Acad. Lugd.-Bat. III. p. 310 n. 1432; est liber secundus e tribus qui eodem codice continentur; de primo agitur III. p. 166 n. 1207, de tertio IV. p. 288 n. 2085.

cuis nonnunquam lectu difficillimis. Vocalium et geminationis signa nec raro etiam puncta diacritica omissa, pauca posteriori, ut videtur, manu addita sunt. Sed id minus: maius quod non solum puncta diacritica saepissime perperam ponuntur, sed etiam gravioribus vitiis codex abundat. Teste subscriptione confectus est Constantinopoli a. $\frac{1064}{1664}$ ¹.

Imposterum codicem Romanum litera R., c. Lipsiensem l. L., c. Upsaliensem l. U., c. Bonnensem l. B., c. Oxoniensem l. H., c. Parisiensem l. P., c. Lugdunensem l. W. signabo.

Intelligitur ex eis quae praemisi praeter codd. R. et L. (secundum editionem Fleischerianam) imprimis codd. B. et W. me usum esse. Horum autem, ut dixi, neuter bonae notae est, immo uterque et plurimis et maximis maculatus vitiis. Accedit quod quattuor illi codices quam plurimum inter sese dissident. Quid? quod neca pitibus quidem distribuendis sibi constant? Certe cod. B. suam et propriam rationem sequitur; plurima enim capita alibi quam ceteri codd. exorditur, capp. 11. et 12. in unum (12.) contrahit, cap. 14. in duo (14. et 15.) dissolvit. Perinde describendis locis in quae capita divisa sunt codices alius ab alio differunt; nonnulla in alio exstant, in alio desiderantur, nonnulla in alio alio ex ordine nectuntur. — Distributionem capitum in paragraphos ipse addidi. — Sed illa leviora: gravius quod in singulis enunciationibus, locutionibus, vocabulis maxima inter codices illos intercedit diversitas, atque ita quidem, ut cod. B. ad aliam quam codd. R. et L. referendus sit codicum familiam, cod. W. autem quasi medium quoddam inter eos teneat. Atque eis quidem quae cod. W. praebet verbis, modo mendis vacaverint, primas dandas esse duxi, quare eius lectiones aliis causis non vetantibus praeferre solitus sum.

Annotandam lectionis varietatem, codicibus in levioribus aequae atque in gravioribus adeo inter sese discrepantibus, facere non potui quin ad certos revocarem fines. Quam ob rem et ea quae in solis eisque manifestis atque apertis vitiis versantur et ea quae si sententiam spectas *ἀδιόγοι* dixeris missa feci, nisi

¹ E subscriptione ultimi eorum quos codex exhibet librorum — qui ad unum omnes eadem manu eodemque anno exarati sunt — patet,

librario nomen fuisse *سيافوش بن عبد الله*, ei in cuius usum librum scripsit *صالح افندى* (الفقيه).

VI

si alia quadam ex causa memoratu digna esse visa sunt. Ubi-
cunque autem a codicibus recessi ipsorum lectiones semper ex-
hibui, nisi vero tales fuerunt quales utrum et quomodo mutandae
essent in promptu fuit. In paucis vero formis verbalibus quae
ob orationem perpetuo ad animam conversam sexcenties occur-
runt eademque in alio codice aliter scribi solent, missa diver-
sitate, unum scribendi modum constanter tenui. Sec. pers. sing.
fem. perf. quae in B. paene semper, in R. et L. autem raro
tantummodo, in W. nunquam قَتَلْنِي scribitur (secundum scri-
ptionem recentiorem) nullo non loco قَتَلْتُ scripsi. Suffixis autem
accidentibus, eiusdem formae vocalem i plene scripsi (قَتَلْتِيهَا, قَتَلْتِيه
etc.), quippe qua in re omnes codices conveniant, nisi quod W.
nonnunquam antiquam scriptionem قَتَلْتَه, قَتَلْتَهَا etc. servavit.

Denique quod codicis B. proprium est, formam تَقْتَلِينَهَا, تَقْتَلِينَه
etc. contrahere in تَقْتَلِيهَا, تَقْتَلِيه etc., in annotationibus praeter-
misi. Alias discrepantias quae ad scribendi rationem faciunt
semper annotavi. In universum autem exhibendae lectionis varie-
tati non nimis modum me constituisse unaquaeque clamat pagina.
Speciminis causa in ultima parte cap. 14. (§. 14—15), quo
loco praeter codd. B. et W. collationes codd. H. et P. consulere
mihi licuit, omnem scriptionis diversitatem textui adieci.

Disputatis codicibus manu scriptis iam ad librum ipsum
converteror.

Argumentum eius versatur in admonitionibus animae¹
propositis et ad vitam spectantibus. In mores igitur conformandos
scriptor incumbit; ea quae in sola cognitione posita sunt se-
cundas tantummodo partes agunt vel potius omnino postponun-
tur. Doctrina autem quam profitetur prorsus convenit cum
placitis Neoplatonicorum. Cunctis igitur monitis subest praece-
ptum fugae eorum quae sub sensus cadunt. Antehac anima condi-
tione usa est vel maxime felici et beata; in mundo rerum

¹ Intelligas animam humanam, non animam scriptoris ipsius, quod
librario codicis W. visum est qui librum exorditur قال افلاطون قدس

الله، روحه العزيز في مخاطبته لنفسه الخ

VII

sensibus subiectarum vitam trahit miserrimam, naturae ipsius repugnantem, omnibus acerbitatibus plenam et confertam; itaque nihil antiquius habeat oportet quam ut a rebus humanis revocet sese atque abducatur, e corporis vinculis evolet, naturae sordes abiiciat. Certum rerum ordinem scriptor non tenet, immo absoluto prooemio liberrime vagatur et errat; unde fit, ut singula praecepta nullo inter se cohaereant nexu, eadem iterum iterumque redeant nec non alia aliis pugnent. — Scribendi genus quo utitur suspensum est, minus certum ac definitum idemque fusissimum latissimumque. — Lingua a veterum grammaticorum placitis nonnunquam recedit nec serioris tantummodo temporis indicia apparent, sed etiam dictionis vulgaris vestigia inveniuntur. Sed omnibus paene quibus eiusmodi quid cernitur locis alius codex ab alio discrepat, quare si minus cuncta at plurima non ad auctorem libri referenda sunt, sed librariis tribuenda.

Sed quid praecipio? nunc videamus de libri origine!

Qua in re primum audienda est vox codicum manu scriptorum. In c. B. utpote qui et initio et fine mutilus sit scriptoris nomen non traditur. In c. R. liber inscriptionem gerit رسالة الهرمس الحكيم الفاضل, in c. L. titulum fert رسالة هرمس الحكيم. Consentiant c. P. qui scribit كتاب رسالة الهرمس الحكيم الفاضل et c. U. qui exhibet رسالة الهرمس الحكيم. Alii testes dissident. In c. W. legitur كتاب معاذلة النفس لافلاطون (*liber reprehensionis animae a Platone conscriptus*), in c. H. exstat رسالة أرسططاليس الحكيم الفاضل ويدعى زجر النفس (*commentatio Aristotelis philosophi praestantissimi quae vocatur compellatio animae*). Denique teste Cl. A. Müller *Die griech. Philosophen in der arab. Ueberlieferung*. Halle 1873. p. 39 n. 11 et p. 44 ab Ibn Abî Useibîa كتاب معاذلة النفس nec non, ut videtur, Platoni كتاب معاذلة النفس tribuitur. Iam sine dubio utrobique idem

¹ Cl. Wenrich *De auctorum Graecorum versionibus et commentariis Syr. Arab. Armen. Pers. comm.* Lips. 1842. p. 119 dum in scriptione كتاب معاذلة offenditur in scirpo nodum quaserit.

scriptum agitur, quod quidem utique noster liber est¹. Attamen primitus Hermetis nomine liber insignitus fuisse videtur². Primum quattuor illi codices antea laudati scriptoris nomine ad unum omnes inter sese conveniunt, ceteri testes alius cum alio pugnant. Deinde, ut supra exposui, c. R. transcriptus esse videtur ex exemplari vetustissimo, c. W. aetatis est recentissimae. Accedunt duo alia testimonia. Hâdschî Chalfa III. p. 540 n. 6846 libri mentionem infert cui inscribatur زجر

مختصر على فصول أوله الحمد additque النفس لهرمس الهرامسة. لمقيض العقل الخ. Quae commemoratio brevior quidem est et levior, sive quod scriptor ipse librum non inspexit sive quod fusius et subtilius eum describere nescio quam ob. causam a re duxit; verum enimvero patet nostrum librum esse qui agitur³. Desideraveris apud Hâdschî Chalfam aetatis vetustatem: explet desiderium Abulbarakât qui auctore I. S. Assemani Bibl. orient. Clem. Vatiq. III, 1. p. 283 n. 25 in libro cui titulus الفاضل هرمس الحكيم وايضاح الظلمة وايضاح الخدسة له رسالة يخاطب فيها النفس تشتمل على حكم فلسفة وعظات روحانية ومقاييس عقلية أبوابها أربعة عشر وتسمى رسالة المعاني.

Itaque auctor libri nomen induit Hermetis vel Hermetis Trismegisti.

Quod nomen Arabes a Graecis acceperunt, qui eo numen quoddam Aegyptiorum appellarunt quod deos inter et mundum

¹ Appellatio quae est *castigatio animae* non solum titulum codicis W. (*liber reprehensionis animae*) proxime attingit, verum etiam in praefatione invenitur quam plurimi codices libro praemittunt.

² Inscriptiones quoque quae sunt زجر, كتاب مغازلة النفس seu كتاب معاتبة النفس, النفس, si cum incerto illo رسالة, conferuntur, et ipsae postea demum ex argumento libri sumptae esse videntur.

³ Titulus *compellatio animae* — male Flügel *divinatio animae* —, ut modo exhibui, in c. H. quoque reperitur. — A verbis *laus datoris rationis* in codd. quos enumeravi liber noster non incipit, at cf. locum cap. 1, 4.

⁴ De exemplis huius libri Vaticanis videndus est Assemani apud Maium Scriptorum veterum nova collectio. t. IV. p. 215 n. 106 et p. 566 n. 623; alius eius codex exstat Parisiis: Cat. codd. mss. bibl. reg. (t. I.) Parisiis 1739. p. 109 n. 84.

IX

interpretis munere fungi idemque omnem scientiam hominibus aperuisse et artium literarumque auctor et patronus esse credebatur. Maxima autem apud Graecos auctoritate Hermes iste Neoplatonismi temporibus usus est, omnibus somniis vigentibus et artibus quae vocantur magicis efflorescentibus. Tum innumeri paene varii generis editi sunt libri Hermetis, antiquae illius Aegypti sapientiae personam agentis, nomine insigniti. Ex quibus plurimum valent scripta quaedam argumenti philosophici quae ceteras quidem in partes aliud ab alio vel maxime differunt, eo autem inter sese congruunt quod auctores e variis rationibus ac disciplinis libant quodcunque maxime veritatis specie eos movit istaque placita ad vitae usum conferenda curant¹.

A Graecis (intercedentibus Syris) Hermetis fama ad Arabes (atque ab eis ad Iudaeos) migravit. Apud quos summa floruit claritate. Missis autem multis illis et variis quae apud Arabes de eo feruntur fabulis², paucis exponere iuvat, quas partes obtinuerit in Arabum literis.

De philosophicorum illorum quorum modo mentionem inieci librorum Hermeticorum interpretationibus arabicis nihil compertum est. Tradit quidem Barhebraeus³, sermones inter Her-

¹ De istis libris quorum nonnulli fragmentis tantummodo aut versionibus latinis ad nostram pervenerunt aetatem, ut veteriores mittam, agunt VV. Cl. Baumgarten-Crusius *De librorum Hermeticorum origine atque indole*. Ienae 1827. (Progr.), B. I. Hilgers *De Hermetis Trismegisti Poimandro commentatio*. Bonnae 1855. (Progr.), L. Ménard *Les livres d'Hermès Trismégiste*. in *annal. Revue des deux mondes*. tom. 62. (1866.) p. 870—907, quae commentatio praemissa est auctoris operi *Hermès Trismégiste. Traduction complète, précédée d'une étude sur l'origine des livres hermétiques*. Paris 1866; 2. éd. Par. 1867., H. Kellner *Hellenismus und Christenthum*. Köln 1866. p. 237 sqq., I. Bernays *Der unter Apuleius's Werken stehende Dialog Asclepius*. Berlin 1871.

² Post Sanguinettium in ann. *Journal Asiatique*. 5. ser. t. IV. (Paris 1854.) p. 185 sqq. Cl. Chwolson *Die Ssabier und der Ssabismus*. St. Petersburg 1856. I. p. 787 sqq. molem quandam scriptorum arabicorum de Hermete locorum congestit tam magnam quam rudem indigestamque.

³ Hist. compend. Dynast. auth. Greg. Abul-Pharajio. ed. Pococke Oxon. 1663. p. 10, l. 2 sqq.; in syriaco chronico — edd. Bruns et Kirsch Lips. 1789. p. 5, l. 11 sqq. — idem illud non invenitur.

metem Trismegistum et Tat¹ discipulum institutos et per modum interrogandi et respondendi compositos neque ad certum quendam rerum ordinem revocatos in Syriacum versos esse versosque ipsius temporibus exstitisse. Qui liber nihil aliud fuisse videtur nisi interpretatio *τῶν πρὸς Τάτ* solis fragmentis servatorum quae Stobaeus ab oblivione vindicavit et Cl. L. Ménard *Hermès Trismégiste* . . . 2. éd. Par. 1867. p. 225—256 collegit²; idemque e Syriaco facile in arabicas literas translatus sit. Sed certi quid exquiri non potest.

Permulta autem quae ab ipsis profecta sunt Arabes Hermeti Trismegisto attribuerunt.

Ac primum quidem Hermetem in numero virorum clarissimorum habuerunt, a quibus varii generis praecepta apud ipsos celebrata repetere solent, quae illorum induant auctoritate. Hinc inter alios Hermes quoque saepius recte vivendi magister existit.

Iam Honein ben Ishâq in libro cui inscribitur *Philosophorum dicta moralia* ut aliorum Graecorum nominis claritate excellentium ita Hermetis sententias tradit. Sunt triginta novem voces ad vitam moresque atque officia spectantes eademque maxima ex parte tam breviter quam graviter atque acute dictae;

¹ Exstat *طاطي*, alias invenitur *طاط*; atque ita quidem recte scribitur, illa autem scriptio e graeco *Táti* fluxit quod ex errore librarium latinorum originem duxisse videtur pro alieno illo Tat ipsorum Tatium substituentium; v. Bernaysium l. l. p. 501—502.

² Ill. de Sacy *Notices et Extraits* IV. p. 113 de libro quem Barhebraeus spectaverit *cet ouvrage ait est vraisemblablement celui que nous avons en Grec sous le titre de Ἐκ τοῦ τοῦ τριμεγίστου Ποιμάνδρης*. Quae opinio utique in errore est. Etenim scripta illa quae nunc Poemandris nomine comprehendi solent aetate Barhebraei non confecerunt corpus. Sunt quattuordecim libelli, ut ita dicam, argumento, forma, origine vel maxime inter sese discrepantes, qui primum a Ficino in corpus redacti et nomine Poemandris insigniti sunt. In codd. mss. autem suam quisque inscriptionem fert et titulus Poemandris eius proprius est quem primo loco ponere solent: Fr. Patritius Nova de universis philosophia. Venet. 1593. Herm. Trismeg. fol. 3r, a; cf. Hilgersium l. l. p. 5—6. Accedit quod istis in libellis Tat non graviorem personam sustinet quam Asclepius; in eo autem qui iure Poemandres appellatur Tati ne nomen quidem occurrit. — In *τὰ πρὸς Τάτ*, quatenus quidem *exstant*, Barhebraei verba quam optime quadrant.

graeca quae feruntur Hermetis scripta non attingunt, immo complures inter proverbia arabica reperiuntur quum ab aliis tum a VV. Cl. Burckhardtio (*London 1830.*), Fleischero (*Lpz. 1837.*), Freytagio (*Bonnae 1838—43.*) edita¹.

Al-Shahrastânî quoque in libro cui titulus كتنب الملل حكم هرمس العظيم — ed. Cureton I. p. 240—244 — exhibet. Quae praecepta prorsus aliam speciem prae se ferunt quam sententiae quas Honein Hermeti vindicat, ad graeca autem scripta Hermetica et ipsa nullo pacto propius accedunt².

Subiungam alia catalogis tantummodo nota. In libro Mubashshiri ben Fâtik كتاب مختار الحكم ومحاسن الكلم quo continetur collectio acute dictorum, admonitionum et observationum lepidarum Hermes gravem agit personam: Cat. bibl. Acad. Lugd.-

Bat. III. p. 342³. Idem cadit in librum روضة الأفراح ونزهة الأرواح quae est altera recensio aucta libri praecedentis a Muhammede Al-Shahrazûrio composita: ibidem III. p. 344. Denique teste Flügelio *Die arab., pers. u. türk. Hdschr. der Kais.-Königl. Hofbibliothek zu Wien.* III. p. 513 Vindobonae inter codd. arab., pers., turc. n. 1997 codex exstat collectanea complectens, in quo fol. 42^v—55^r praecepta moralia proponuntur Hermeti, Muham-madi, Luqmânio, aliis ascripta; quae quidem sententiae sine dubio de eis quos modo recensui libris depromptae sunt.

Haud desunt autem apud Arabes vestigia partium a Graecis Hermeti Trismegisto impositarum. Primum princeps est astrologiae, alchymiae, alius id genus superstitionis. Eius argumenti plurima apud Arabes foras data sunt scripta quae modo ipsa

¹ Exstant voces in manco Honeinii operis codice Monacensi inter codd. arab. n. 651 fol. 134^r—138^v, cuius loci exemplum mihi praesto fuit a V. Ill. Gildemeister confectum et solita comitate mihi commodatum. Alter isque integer libri codex asservatur in bibliotheca Escorialensi n. 756. De variis operis interpretationibus nuper disseruit Cl. Steinschneider in ann. *Jahrbuch für romanische und englische Literatur.* Bd. XII. (*Lpz. 1872.*) p. 355 sqq.

² Quod iam monuit Cl. Haarbrücker *Abu-'l-Fath' Mu'ammad asch-Schahrastânî's Religionspartheien und Philosophenschulen a. d. Arab. übersetzt.* Halle 1850—51. II. p. 424.

³ Interiora quaedam de Mubashshiri libro affert Cl. Steinschneider l. l. p. 359 sqq.

XII

ab Hermete conscripta modo ex arcanis eius praeceptis nescio quo pacto compertis hausta esse finguntur¹. Deinde in philosophia neoplatonica excellens exstitisse existimatur. Quid? quod in celeberrimo illo Al-Suhrawardii opere *حكمة الاشراق* inscripto Hermes inter maximos philosophiae quae vocatur *illuminationis*² (i. e. neoplatonicae) auctores et patronos refertur³? Atque ea quidem re illustratur quo pacto nostri libri auctor adduci potuerit, ut opusculum Hermeti tribueret.

Sed redeat disputatio unde deflexit. Falso nomine inscriptus liber prodiit; quaeritur quid de vera eius origine statuentum sit.

Externum, ut ita dicam, testimonium quo quaestio dissolvatur quantum comperi non exstat; quare ad interna quae vocant indicia omnia redeunt.

Iam primum constat lingua arabica librum primitus esse conscriptum. Coniecerit enim quispiam, eum e Graeco (seu intercedente interpretatione syriaca seu non intercedente) in Arabicum conversum esse. At vero de eiusmodi libro graeco

¹ Unus quantum scio istius generis libellus prelum subiit, Cairi a. 1864, apud Trübnerum *Americ. and Orient. literary record.* n. 29.

p. 95^b sic descriptus: *Naf'al bariyat* [نفع البريات], called *Kitab al Harf* [كتاب الحرف], by the Sage Hermes; a treatise on the magical force of the letters of the alphabet. 8vo. pp. 52.; nonnulla docte quidem, ut solet, at saepe minus accurate atque emendate disputavit Cl. Steinschneider in commentationibus *Zur pseudepigraph. Literatur des Mittelalters.* Berlin 1862. et *Ueber die Mondstationen (Naxatra) und das Buch Arcandam.* in ann. *Ztschr. d. D. M. G.* XVIII. p. 118—201 et XXV. p. 378—428; multa per catalogos bibliothecarum in aliquam vocata sunt lucem; alia solis commemorationibus scriptorum (e quibus prae ceteris Muhammad ibn Ishâq et Hâdschî Chalfa nominandi sunt, innotuerunt.

² De huius philosophiae nomine et natura post Nicollium Cat. bibl. Bodl. II, 2. p. 225 n. b. egregie disseruit Cl. Pusey ibidem A. et E. p. 532, sqq.; leviores quasdam quas in dubio reliquit quaestiones dissolvit scriptor Cat. bibl. Acad. Lugd.-Bat. III. p. 352; cf. etiam Cat. cod. mss. orient. qui in Museo Britann. asservantur. II. p. 209.

³ v. Flügelium l. I. II. p. 599, quocum bene conveniunt ea quae in Cat. bibl. Acad. Lugd.-Bat. I. l. ex Al-Shirâzii in Al-Suhrawardii opus commentario afferuntur.

XIII

nihil compertum est; in verbis autem arabicis versionis nulla cernuntur vestigia, immo varia occurrunt quae originem postulent orientalem et arabicam.

Ipsa scriptor, utrum Muhammadanus fuerit an Christianus an forte etiam Iudaeus, ambigitur. Reiske apud Fleischerum l. l. p. VI—VII inter diversas istas opiniones dubius fluctuat, postremo ad Hermetis Trismegisti partes sese applicat. Fleischer autem p. VIII in sententiam abit: *Der Inhalt spricht für einen mit Gnosticismus, Neuplatonismus, Manichaeismus oder überhaupt orientalischer Theosophie vertrauten Christen; Stil und Sprache bestätigen dies.* Iam sermo quidem habet quae Christiano magis convenire videantur quam Muhammadano (veluti Muhammadis nomen non invenitur, Qur'āni nulla fit mentio, alia); sed eadem prorsus quam quae in nostro libro exstat loquendi scribe ndive ratio in Muhammadanorum scriptis modo argumenti sint philosophici saepius cernitur. Argumentum autem libri acerrime repugnat. Etenim tale quid quale non possit quin referatur ad Christianum per totum librum non reperitur. At multa occurrunt quae Christiano tribuere dubitaveris, multa desunt quae ut praetermitteret Christianus vix a se impetraverit. Haud scio an talis qualem Fleischer vult Christianus nonnullas dubitationes tollat, sed restant plurimae et gravissimae. Denique librorum biblicorum scriptor utique nullam habuit notitiam. Inveniuntur loci quibus in librorum biblicorum memoriam revoceris¹, sed et rarissimi sunt et tam leviter voces biblicas attingunt, ut quopiam pacto ex eis pendere censi non possint. Iam vero et Veteris et Novi Testamenti libros in usum conferendi pro opusculi argumento scriptori saepissime occasio oblata, facultas facta, ansa data fuit². E contrario in Arabem Muhammadanis-

¹ ad cap. 3, 5—6 cf. Io. 15, 1 sqq.; ad cap. 2, 9. (5, 7.) 11, 6 cf. Prov. 1, 17. (6, 5.) 7, 28; ad cap. 5, 7 cf. Hos. 4, 11. Eccli. 19, 2; ad cap. 5, 8 cf. Prov. 23, 34; ad cap. 7, 8 (1, 3) cf. Rom. 1, 20; ad cap. 11, 12 cf. Eccli. 7, 1—2.

² Ad christianam libri originem probandam forsitan ad Abulbarakāti testimonium provocaveris, qui auctore I. S. Assemani in operis supra laudati capite septimo quo *de scriptoribus ecclesiasticis* agit mentionem eius inferat. At ea ex re quominus argumenti quid petas prohiberis tenebris Abulbarakāti libro offusis; immo secundum verba quae Assemani exhibet Abulbarakāt utique ad Hermetem auctorem librum retulit.

XIV

num profitentem et graeca philosophia aliquo pacto imbutum argumentum libri prorsus quadrat. Imprimis ea quae cap. 6, 14 de matrimonio proponuntur quantopere a Christiano abhorrent, tantopere in Muhammadanum cadunt. Quid autem? quod cap. 1, 7 et cap. 8, 6—8 aperta exstant vestigia theologiae muhammadanae? Ita rebus constitutis haud dubito scriptorem postulare Muhammadanum.

Patriam scriptoris in dubio pono. Fleischer l. l. p. VIII *Stil und Sprache* ait *deuten auf Aegypten hin*. Quae tamen sententia multum mihi habere videtur dubitationis. In stylo scriptoris quo pacto patriae eius vestigium cerni possit prorsus non video. Linguam autem quod attinet, ea tantummodo ad calculos vocari possunt quae tum quum liber prodiit alius terrae sermonis propria, ab alius usu aliena fuerunt. At vero neque aetas scriptoris, ut illico apparebit, extra dubium versatur et historia linguae arabicae eam quidem in partem in tenebris iacet¹. Deinde eiusmodi sermonis proprietates in eis potissimum vocabulis positae sunt quibus res significantur quas quotidianus vitae usus fert, qualia vocabula in nostro libro pro singulari eius indole raro occurrunt. Denique codicibus adeo inter sese dissidentibus saepe quaeritur utrum quid a libri auctore an a nescio quo librario repetendum sit. — Maiore fortasse iure aegyptiacae libelli originis coniecturam ex eo ceperis quod et Hermeti attributus est et in Abulbarakâti (presbyteri Aegyptii) notitiam venit. Sed explorati quid omnino non habeo.

Paullo minus obscura est quaestio de scriptoris aetate.

¹ Reperiantur vocabula hodie apud Aegyptios more et usu recepta, licet vocem Aegyptiis peculiarem atque a Syrorum (ut alias terras praetermittam) consuetudine alienam e libello nostro affere nesciam. — Sane cap. 9, 7 بضائع *merces* legitur; at minus accurate Burckhardt *Arabic proverbs*. London 1830. p. 79 *In Syria* inquit *the term رزق is used to express „merchandise“, which in Egypt is called بضاعة*, quia رزق quidem (notione mercis) Syrorum proprium est, بضاعة autem testibus I. Berggren *Guide francais-arabe vulgaire*. Upsal. 1844. s. v. *marchandise* et R. P. Cuhe *Dictionnaire arabe-francais*. Beirouth 1862. s. v. بضاعة non Aegyptiis tantummodo, sed etiam Syris usitatum est. — Sed hoc nihil ad rem; namque omnino non agitur usus hodiernus.

Praesto enim sunt tempora scriptorum qui, ut supra docui, librum cognitum habuerunt. Hâdschî Chalfa mortuus est a. Chr. 1658. Abulbarakât autem certe priore parte saeculi decimi quarti floruit¹. Ibn Abî Useibi'a denique obiit ineunte a. 1270. Aliquanto igitur ante scriptor vixit². — Ex altera autem parte libellus post conscriptum opus illud encyclopaedicum prodiisse videtur, quo inclinante saeculo decimo Fratres qui vocantur Sinceri per omnes quas Arabes eo temporis colebant disciplinas praecepta Qur'âni quae respuere nequiverunt et placita philosophorum graecorum quae omittere noluerunt iungere, conciliare, in unum corpus confundere conati sunt³. Eius enim operis

¹ Assemani apud Maium l. l. p. 242 Abulbarakâtum *nonagenarium* e vita excessisse dicit a. martyrum 1079. Qui annus est a. Christi (non 1365, ut Assemani annotat, sed) 1362—68. Quocum satis convenit, quod ibidem p. 242 et 243 librorum Abulbarakâti exempla recensentur a. Chr. 1334 et 1333 exarata.

² Memoratu dignum est, inter apophthegmata quae Cl. Dillmann Chrest. aeth. Lips. 1866. p. 40 sqq. e libro aethiopico cui inscribitur *liber philosophorum* excerpserit duas voces inveniri quae eadem in nostro libello occurrunt; v. infra ad cap. 5, 6 et ad cap. 12, 3. Iam *liber philosophorum* innititur sententiis ab Arabibus viris Graecis nominis claritate insignibus attributis. Sed quaeritur num ea quae aguntur dicta a nostri libri auctore primum edita nec potius aliunde hausta sint, ita ut certum libri vestigium non exstet.

³ De tempore quo opus compositum sit disseruit Flügel in ann. *Zeitschr. der D. M. G.* XIII. p. 19 sqq. — De fine quem scriptores sibi proposuerint videndus est Steiner *Die Mu'taziliten. Lpz. 1865.* p. 7 sqq. — Textus operis 51 commentationes complectentis arabicus nondum prelum subiit; maximam autem partem Cl. Dieterici e codd. mss. germanice vertit, cuius scripta, utpote quae infra saepissime laudaturus sim, nostro loco semel congerere placet. Commentationes 1—6: *Die Propädeutik der Araber im zehnten Jahrhundert. Berl. 1865.* — praeterea de comment. 1. et 2. disputavit in *Ztschr. d. D. M. G.* XVIII. p. 691 sqq. —; comment. 7—13: *Die Logik und Psychologie. Lpz. 1868;* comment. 14—21: *Die Naturanschauung und Naturphilosophie. Berl. 1861 (Posen 1864);* appendix comment. 21: *Der Streit zwischen Mensch und Thier. Berl. 1858* — arabica eius fabulae verba typis mandata sunt Calcuttae 1813 et 1842 —; comment. 22—30: *Die Anthropologie. Lpz. 1871;* comment. 31—40: *Die Lehre von der Weltseele. Lpz. 1872* — comment. 31—33 iam antea

scriptorem notitiam habuisse vel proxime ab explorato abest¹. Namque illius commentationes inter et nostrum librum maxima intercedit similitudo et necessitudo. Aliud quidem utrimque agitur; at eadem prorsus est philosophandi, ut ita dicam, ratio ab eis quae in cognitione versantur exordium capiens atque eis quae in vitae usum cadunt finem faciens². Porro paene omnia quae in nostro libro in medium proferuntur placita in illis quoque commentationibus inveniuntur; immo nonnullis locis non solum sententiae sed etiam verba inter se conveniunt³. — De intervallo autem inter istos quasi terminos quosdam interposito anceps fluctuo neque quidquam habeo quo accuratius scriptoris aetatem finiam nisi coniecturam supra de exemplari codicis R. allatam, quae si verum tenet, libellus utique multo ante tempora Ibn Abi Useibi'a compositus est.

Postremo quaeritur cui sit liber usui. Apud Arabes, si quidem ex exemplorum quae in bibliothecis nostris inveniuntur frequentia et ex ampla omnis generis lectionum varietate coniecturari licet, studiose lectitatus et perquam utilis habitus fuisse videtur. Hodie sane aliud ferendum est iudicium. At vero ut unumquodque antiquitatis documentum quaecunque est, si historiarum cognitionem spectas, aliquem praebet fructum, ita noster libellus initiis, ut videtur, Arahū philosophiae aliquam lucem affert imprimisque Platonismum apud Arabes accuratius cognitum et latius diffusum fuisse ostendit quam vulgo arbitrari solent.

transtulerat in *Ztschr. d. D. M. G.* XV. p. 586 sqq. — Doleo quod comment. 41—51, quae pro argumento quod exhibet Dieterici *Der Streit zwischen Mensch und Thier.* p. 233 sqq. maximum suppeditassent usum, consulere non potuerim.

¹ Ipsi Fratrum Sincerorum societati eum addictum fuisse variis ex causis a veri similitudine alienum est.

² cf. Dietericium *Der Streit zw. M. u. Th.* p. 238.

³ Infra in annotationibus eorum quae dixi argumenta exhibebo.

الفصل السادس

١ يا نفس انه لو شرب شارب من الماء شربة واحدة لقد كانت تلك الشربة تقرر في نفسه المعرفة بطبيعة الماء كله فان اختبار الجزء من الشيء الغارذ^١ ينبى^٢ عن جميع كليته وان الناظر الى كف من التراب^٣ قد رأى التراب كله وان اختلفت ألوان التراب فليس جوهره مختلفا ولا حدّه^٤ وان المصاحب للقراء^٥ الذين كلهم من طبيعة واحدة وجوهر واحد لعارف بان واحدهم ينبى عن جميعهم وقليلهم ينبى عن كثيرهم فافتصرى يا نفس على هذا الشرح واكتفى به^٦ توفقى للسلامة والنجاة^٧

^١ B. الواحد, W. الصادر, R. et L. البارد; ^٢ B. et W. لينى; ^٣ W. تراب; ^٤ vocabula ولا حدّه in R., L., B. desunt; ^٥ B. القرية, R. et L. اللان; ^٦ post به W. addit قياساً; ^٧ W. pergit ان يشاله (?).

Caput sextum.

Si quis, o anima, unum solum aquae haustum biberet, ex eo ipso universae aquae naturae certam caperet notitiam. Parte enim usu cognita cuius rei toti atque universae lux affertur. Is qui pugillum terrae intuitus est, simul terram universam vidit, quia etiamsi species terrae inter se differunt, substantia tamen et notio eius non differunt; similiterque is qui ad amicos se applicat, qui omnes unius sunt naturae et unius substantiae, certe intelliget unum eorum cunctis, paucos multis lucem afferre. Sed iam contenta sis, o anima, eis quae explicui eaque satis habeas, ut ad salutem et beatitudinem assequendam iuveris.

يا نفس أتى أرى كل شكل بحسن الى شكله وكل نوع ينضاف الى نوعه ^٢
 فينبغى ان تكونى بهذا المعنى عارفة يا نفس انت صافية فلا
 تصعبى كدرا ^١ وانت نيرة مصيبة فلا تصعبى مظلمة ^٢ وانت حية
 ناطقة فلا تصعبى ميتة ابكى وانت عاقلة ^٣ عادلة فلا تصعبى
 جاهلا جثرا وانت طاهرة نقية فلا تصعبى نجسا دنسا وانت
 متصرفة بالتمييز والارادة العقلية فلا تصعبى المتحرك حركة الهيام
 والالتباس وانتشويش فان انت لم تتحققى شرحى هذا فأرينى ^٣
 كيف يكون الاتفاق فى معانيك التى ذكرتها بمعانى سواك ومن المحال
 يا نفس ان يثبت لك اجتماع المخالفين فى معنى واحد فتبينى
 يا نفس قولى وارجمى الى ما بينته لك ورسمته وحددته تجدى للحق
 وتظفرى بالصواب،

^١ W. الكدر؛ ^٢ W. الظلمة؛ ^٣ R., L., B. عالمة.

- 2 Simile semper simile appetere, aequale aequali se coniungere
 video, o anima, quod verum esse ipsa quoque oportet agnoscas.
 Iam vero tu, o anima, munda, — quare noli societatem inire
 cum rebus immundis; tu lucida et splendida, — quare noli
 societatem inire cum rebus tenebrosus; tu vitae et orationis
 particeps, — quare noli societatem inire cum rebus vitae et
 orationis expertibus; tu intelligens et iusta, — quare noli
 societatem inire cum rebus nihil intelligentibus et iniustis; tu
 pura et candida, — quare noli societatem inire cum rebus sor-
 didis et spurcis; tu proprio iudicio et voluntate rationali pollens,
 — quare noli societatem inire cum rebus quae solo impetu
 3 atque appetitu moventur caeco, incerto, confuso. Cui expli-
 cationi si fidem non habes, ostendas mihi, quaeso, quo pacto
 ea quae tui propria esse dixi cum eis quae ceterarum rerum
 propria sunt convenire possint. Etenim incredibile est, o anima,
 existimare te duas res inter sese repugnantes in unam compre-
 hendi posse notionem. Quare persuadeas tibi, o anima, ea quae
 dixi et normis eorum quae tibi exposui praescripsique atque
 accurate praecepi agendi rationem dirigas, ut verum invenias
 et rectum teneas.

٤ يا نفس ما اشغل الغريق في الماء عن صيد السمك وكذلك ساكن الدنيا ما اشغله عن مقتنياتها ولذاتها خلاص¹ نفسه إن فطن لسوء وقوعه فيها² يا نفس يكفيك³ وانت في علم الحس ما تقاسينه من آلتك⁴ واضدادها وادساخها فلا تضيفي الى آلتك⁵ شخصا آخر فتكوني كالغريق المرتهن في البحر قد حمل على عاتقه حرجا وما ارى⁷ ان غريقا ينجوا من البحر مجرّدا بنفسه⁸ فكيف اذا حمل على عاتقه آخر⁹ غيره⁶

٥ يا نفس ان سلوك طريق النجاة من قبلك يكون بحسب ما تعرفينه

¹ R. et L. خلاص عن, correxit Fleischer; ² ita R. et L., عن مقاساتها (sic) وتمتى وتمتى (ل. الخلود فيها W. exhibet اشغلته pergit ساكن الدنيا B. post وقوعه فيها R. et L. غريك (?) ويكفيك W. ³ مقتنياتها عن خلاص نفسه ذاتك B. آلتك R. et L. آلتك R. et L. ⁴ تجرّبتك R. et L. ⁵ ان B. ⁶ سمع B. ⁷ شيئا W. ⁸ (أداتك vel ذاتك l. vel شيئا B. ⁹ غريقا متفردا في نفسه وبصعوبة ان ينجو من البحر آخر.

Is qui aquis mergitur, o anima, sane (aliis rebus) ita occupatur et exercetur, ut pisces capere mittat. Perinde incola huius mundi, modo intelligat quam malo loco res suae in eo constitutae sint, anima sua servanda adeo occupatur atque exercetur, ut bona eius et voluptates missa faciat. Quamdiu in mundo sensus es, o anima, e tuo corpore eiusque contrarietatibus et sordibus satis perpeteris. Quare noli alterum quemquam tuo corpori adiungere, ne ei similis fias qui aquis mersus est simulque lapide in cervicibus suis posito impeditur et retinetur. Eum qui aquis mersus est ne ita quidem e mari evadere posse arbitror, ut solus sit secum; quo pacto vero evadet, si praeter sese etiam alterum quandam in cervicibus portat?

Salutis viam si initura eris, o anima, ea respicies et se- 5

وتجربينه وذلك انه ان كانت معرفتك بالمحسوسات فقط فانه في وقت انتقالك الى ما علمت به تنتقلين ونحوه تتوجهين¹ وبه ترتبطين² وان كانت معرفتك بالمعقولات وأثرتها على غيرها فنحوها تتجهين³ واليهما تنتقلين وبها ترتبطين⁴

يا نفس هذه دار المحسوسات ودار المعقولات محصورة بين يديك⁵ وكلاهما قد جرتيه وشاهدتيه فتأخيري أيهما شئت⁶ لا مدشوعة ولا ممنوعة وإنهى الى احظاهما عندك فان اخترت اللبوث في دار الحس فأقيمي على ما قد جرتيه وعرفتيه وان احببت المصير الى دار العقل فينبغي لك قبل⁶ الانفصال ان تتصورى معنى طريقك

¹ R. et L. تتجهين، B. mutatum ex تتجهين

² W. adiicit وفيه تخلدين؛ ³ B. تتجهين (sic)؛ ⁴ verba شئت R. post in W. desunt؛ وان كانت ترتبطين et L. addunt علم على؛ ⁶ R., L., B. في وقت.

queris quae cognoveris atque experta eris. Namque si ea tantummodo quae sub sensus cadunt cognoveris, quum (ex his rebus) emigres necesse erit, ad ea quae novisti proficisceris atque in ea versus converteris eaque amplecteris; sin ea quae sola mente intelliguntur cognoveris eaque ceteris praeferes, in ipsa versus converteris atque ad ea proficisceris eaque amplecteris.

